

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 189

**Autre(s) référence(s) :** Tabuteau 21

**Auteur(s) :** Robert Courteheuse, Normandie (duc)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Vigor-le-Grand, Saint-Vigor de Bayeux, dépendance Saint-Bénigne de Dijon (prieuré)

**Genre d'acte :** diplôme

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1089

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert Courteheuse, duc de Normandie, confirme la restauration du monastère de Saint-Vigor, près de Bayeux, faite par son oncle Odon Ier de Conteville, évêque de cette ville ; il ratifie les donations de l'évêque et accorde lui-même au monastère de nombreux priviléges.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., t. 1, n° VI, p. 10-12.

b. Chaume Maurice, Chevrier Georges, *Chartes et documents de Saint-Bénigne de Dijon, prieurés et dépendances, des origines à 1300*, Dijon, Bernigaud et Privat, 1943, 2 vol., n° 372, p.149-151

Texte établi d'après a

Quum omnis sit a Deo potestas, et omnis potestatis conditio in suo distantia, hæc etiam principibus sæculi concessa est gratia, ut ea, quæ a suis fidelibus data vel redditæ, recipit ipse Deus in sua Ecclesia, ut in jus perpetuæ possessionis transisse sibi ex lege sunt decreta, eorum demum sanctiat auctoritas. Ergo tantus honor eis datus cum onere, tantum eis onus impositum cum honore, conveniens eos suo modo in cubili mentis suæ, incessanter debet eis suggestere, ut caveant ne ingrati esse decernantur de munere, neve sibi minus providentes circumspecte, ruinam patientur, suffocati tanta fasce. Ego igitur Robertus, dux Normannorum et comes Cenomanensium, etsi cum majora a Deo acceperim in majoribus sibi deberem ministrare, in hoc tamen quantulumcumque sit, animæ meæ et parentum meorum volens saluti consulere, illud quod patruus meus Odo, Baiocensis episcopus, in prædio Sanctæ Mariæ Baiocensis ecclesiæ astruit monasterium, ex proposito ut ibi semper monachi serviant a se disposito, nostri assensu manum dans quanta possum nostræ concessionis auctoritate corroborato, dans eiquam possum libertatem : videlicet, omnes consuetudines per totam terram meam quæ ad me pertinent de dominicis suis rebus, tam in passagio et theloneo, quam in ceteris exitibus, et de meo proprio, in cotidiano usu fratrum ibidem servientium, onera quatuor asinorum singulis diebus de viridi ligno in nemore meo Verneio. Concedo etiam ut omnium abbatum ejusdem loci Baiocensis episcopus electionem faciat, et omnis ejusdem loci abbas a Baiocensi episcopo baculum pastoralem recipiat. Hoc autem privilegium trado Baiocensi ecclesiæ jure sempiterno. Quisquis autem de terra mea aliquid de suo monasterio prædicto tradiderit, id sibi ratum fore concedo, ne occasione juris mei ullo modo possit revocari. Hæc vero quæ subscribuntur, de suo beneficio dat prædictus episcopus eidem monasterio, quod manu mea signum faciens confirmo, videlicet, plenam decimam tocius villæ in qua monasterium situm est, et omnium ad eandem villam pertinentium, et quicquid ad ecclesiam, quæ ibi erat prius, pertinebat, et præterea medietatem

ejusdem tocius villæ, tam in hominibus et territorio quam in ceteris redditibus, et unum hominem in burgo episcopi cum terra ejusdem hominis qui serviat de faciendo brasio, et unum molendum prope civitatem Baiocas quod est super Oram fluvium, et plenam decimam de tota Chriccavilla cum terra presbiteri et ea quæ ad ecclesiam pertinent, et plenam decimam de Carchinneio cum terra quæ ad ecclesiam pertinet et terra presbiteri, et plenam decimam de Lion et omnibus terris quæ ad Liun pertinent, cum terra quæ ad ecclesiam pertinet et terris presbiterorum, et præterea quadraginta acras terræ in eadem villa, et quicquid idem episcopus habebat in Basenvilla, et ecclesiam de Cruiseio, et de Olferes, et de Colgrino, cum plenis decimis et terris quæ ad ipsas ecclesias pertinent et terris presbiterorum. Hæc itaque præfato monasterio omnia concedo, et ut ea habeat, sicut habuit etiam tempore patris mei, confirmo. S. Robertus, comes. Gislebertus, episcopus Ebroacensis. Willelmus, episcopus Dunelmensis. Odo, episcopus Baiocensis. Willelmus, comes Ebroacensis. Robertus, comes de Mellent. Willelmus de Bretoil. Hugo de Vernon. Ricardus de Corceio. Engelranus, filius Ilberti. Willelmus Crispin. Robertus de Montfort. Willelmus, monachus de Archis. Serlon de Maton. Willelmus de Molend. Willelmus Bertranni.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo nono, indictione duodecima, secundo anno principatus Rotberti Guillelmi regis Anglorum filii ac Normanniæ comitis, dum idem Robertus esset ad obsidionem Auci, ea die qua idem castrum sibi redditum est, hæc carta manu sua firmata est ac sigillo suo assignata.